



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Benedictus Abbas. 21. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

21. Mart. VITÆ SANCTORUM. 193
O seculum nequam! quod tuos sic soles
beare amicos, ut Dei facias inimicos! pla-
nè enim qui amicus esse vult tuus, inimicus
Dei constituitur: Amicus itaque mun-
di excluditur à consilio amicorum Dei.
S. Bern. in Epist.

S. BENEDICTUS ABBAS.
21. Martij.

BENEDICTUS puer ludum cùm ere-
mo mutavit, satis jam magnus Phi-
losophus, qui terrena contemnere didi-
cerat. Ibi multò pòst malus Orci pullus
merulam mentitus, ingens sub animo
libidinis incendium excitavit: sed ille
nudus in spinas abjectus sanguine id ex-
tinxit; ut quando Poëta rosas olim om-
nes candidas volunt fuisse, ex his spinis
primum credam erubuisse. Secundùm
hæc cùm socios legeret, multa admiratio-
ne digna fecit, multa passus est. Illud
lepidum etiam memorati. Discipulum,
qui à divinis ante finem subducere se a-
mabat, attentioribus oculis arbitratus,
vidit à Stygii coloris nano vestis orā pre-
hensum è templo trahi. Castigavit vir-
gis vagum, & ecce parvulus etiam ille
e Styge Maurus tergum, ne virginis daret,
fugæ dedit. At BENEDICTUS castra
sanctissima in monte Cassinæ locavit:
illic everso Apollinis fâno, postquæ
veriora cùm aliis multis, tum Totilæ

N

im-

194 VITÆ SANCTORUM. 22. Mart.
impruniis oracula dedisset, famâ, & discipulis orbem impleisset, sibi etiam denique vates sepulchrum parari jussit, & inter suorum manus, ut Ducebat, stans oppetiit. Mox duo Magistrum capere viderunt in cælos viam, amplam illam & veste pulcherrimâ stratam, multisque luminibus coruscant. Eam tunc nescio quis Cælitum viam Benedicti; D. Bernardus illius leges dixit; ut jam mirum non sit, si eandem tot Pontifices & Reges calcarunt. Nam viam ad cælum expeditam & jucundam quærebant, vel mundo Doctore. Ex S. Greg. M.

*Illud Sathanæ opus est, ut cogitationes
orantis in infinita jaculetur, nec sinatho-
minem in ea persistere postulatione, quam
impetrare contendit. Novit quippe, quæ
si perseveret deprecans, exaudiet eum, qui
fecit illum, et si innumerabilia peccata ad-
miserit. S. Ephrem in Pan.*

S. CATHARINA SUECA V. 22. Mart.

Infans CATHARINA respuit impu-
rarum nutricum ubera, castarum am-
biit, Veneris jam in cunis hostis. Puella
pupas tractavit; sed cum pupas induit
dæmones verberarent dormientem, et
jam has sibi Venerem jussit habere. Viro
nupta dotem virginitatem attulit, & ar-
rham virginitatem vicissim ab ipso acce-
pit; quæ ut tuta in thalamo etiam dor-

mi-